

extinguatur jurisdictio, et auctoritas præcipientis, a qua vim suam præcepta obtinent. Menochius lib. I. *de Arbitrar. judic.*, quæst. 69, num. 4, citans Decium in Rubr. C. *de Mandat. princip.*, n. 11; Layman, c. *Gratum*, n. 6. *de Offic. delegat.*; Sanchez, lib. VIII. *de Matrim.*, disp. 28, n. 47. Qui recte hoc ultimum extendit etiam ad illum casum, quo res non amplius est integra.

46. *Mandatum jurisdictionis, et mandatum ab homine, quid, et an expirent morte mandantis?* — Nec obstat c. *Relatum*. 19. et c. *Gratum* 20. *de Offic. delegat.*, ubi mandatum non expirat morte mandantis, si res non amplius fuerit integra. Resp. enim hic sermonem esse de mandato jurisdictionis; hoc est, de tali mandato, per quod a superiore committitur jurisdictio inferiori, velut judici delegato, ut probat rubrica citati tituli: et tale mandatum re amplius non integra, juxta omnes, non expirat morte mandantis. Secus dicendum de mandato ab homine, seu simplici præcepto superioris, obligante ad aliquid faciendum, vel omittendum: tale enim non solum expirat morte concedentis re integra (in quo casu expirat pariter mandatum jurisdictionis, c. *Licet* 30. *de Offic. delegat.*) sed expirat etiam re amplius non integra; cum talia mandata ab homine, seu præcepta, quæ non emanant per modum constitutionis, non sint perpetua ex sua natura, sicque extincta præcipientis jurisdictione per ejus obitum, amplius ligare non possint, etiam re non integra. Sanchez loc. cit., n. 47.

§ III.

DE POTESTATE LEGISLATIVA, ET QUOMODO HÆC
COMPETAT PAPÆ, ATQUE CONCILII.

47. *Hic non est sermo de potestate legislativa divina.* — Quæritur I. Quotuplex sit potestas legislativa humana? et additur notanter, *humana*: non enim hic loquitur de illa suprema et absoluta potestate legislativa, quæ competit Deo ter Opt. Max. ob supremum ejusdem in omnes creaturas dominium, et secundum quam pro quolibet statu convenientia humano generi dedit præcepta, prout liquet ex sacris Litteris. Quanquam lex vetus, sive Mosaica, ejusque obligatio jam cessaverit introducta lege evangelica, prout fides docet, et patet ex *Actor*. cap. xv, 3. et tota *Epistola* sancti Pauli *ad Galatas*, atque ex c. *Majores, de Baptismo*, ubi pontifex inquit: « Absit, ut

in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Evangelio, et circumcisionem cum baptismo observandam. »

48. *In lege evangelica nullum continetur præceptum, quod non sit juris naturalis, præter præcepta fidei, et sacramentorum.* — Ex quo proinde inferunt doctores, quod, cum per Christi mortem, et prædicationem Evangelii, evacuata fuerit obligatio legis veteris quoad præcepta cæremonialia, atque judicialia, prout uberius docent theologi; in lege evangelica nullum extet præceptum juris divini positivi, præter præcepta fidei, et sacramentorum: nam præcepta moralia, quæ etiamnum obligant, sunt juris naturalis. Sanctus Thomas 1. 2, q. 108, art. 1 et 2; Scotus 3, dist. 40, q. un.; Covarruvias, *de Matrim.* part. II, cap. vi. § 40. n. 1; Sanchez, lib. VII *de Matrim.* disp. 52. n. 1; Fagnanus in c. *Vir qui*. n. 31, *de Consanguinit. et affinit.*; Valentia, et alii. His prænotatis

49. *Potestas legislativa humana, alia ecclesiastica, alia civilis.* — Resp. I. « Potestas legislativa humana est duplex, » ecclesiastica videlicet, quæ competit summo pontifici; aliisque prælatis ecclesiasticis, pro bono gubernio Ecclesiæ, et promovenda animarum salute in subditis suis; et civilis, quæ competit imperatori respectu totius Romani imperii; regibus pro suo regno, aliisque principibus sæcularibus respectu propriorum subditorum, in ordine ad rectam gubernationem reipublicæ.

50. *Hæc differunt ratione originis.* — Resp. II. Hæc duæ potestates multipliciter differunt inter se. Et primo quidem ratione originis: nam potestas legislativa ecclesiastica, quæ competit Romano pontifici, ac per hunc postmodum aliis inferioribus prælatis, veluti vocatis in partem sollicitudinis, communicatur, proxime ac immediate provenit a Deo; prout patet ex verbis Christi, *Matth.* xvi, 19, sancto Petro, ac in hujus persona ejus legitimis successoribus dicentis: *Tibi dabo claves regni cælorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis.* Et *Joann.*, cap. xxi, 17. *Pasce oves meas*, ac proxime legislativa civilis immediate provenit ab hominibus, eo videlicet, quod populus Romanus per legem Auream contulerit in regem, seu imperatorem, omne suum imperium et potestatem, l. I. ff. *de Constit. princip.* Quamvis et hæc saltem mediate sit a Deo, juxta

§ III. DE POTESTATE LEGISLATIVA, ET QUOMODO HÆC COMPETAT, ETC. 443

illud Apostoli, *Rom.* xiii, 1. *Non est enim potestas, nisi a Deo.*

51. *Ac ratione objecti, et finis.* — Secundo differunt ratione objecti et finis. Siquidem potestas legislativa ecclesiastica versatur circa res spirituales, ac pro fine suo per se, et directe intento, respicit cultum divinum, salutem animarum, et vitam æternam a subditis obtinendam. Civilis vero potestas versatur circa bona temporalia reipublicæ, et pro fine suo directe, ac per se intento, respicit bonum commune reipublicæ, hujusque tranquillam gubernationem: quamvis per accidens, et mediate, etiam salutem animarum respicere possit, in quantum videlicet vitia cohibet, et punit; licet hoc ipsum præstet dumtaxat ad manutenendum bonum statum reipublicæ, qui vitis impune grassantibus perturbaretur, ut amplius dictum fuit in Proæmio, n. 41 et 42, ac præsertim n. 183 et seqq.

52. *Propriisque officiis, et dignitatibus.* — Ex his ulterius sequitur alia differentia, dum hæc duæ potestates propriis officiis ac dignitatibus discretæ esse reperiuntur: quamvis ecclesiastica ob excellentiam objecti, et finis sui, tanto præstet civili, quanto quæ sunt spiritalia, præstant corporalibus, c. *Solite*. 6. §. *Quod autem de majoritat. et obed.*

53. *Papa potest ferre leges, sive constitutiones ecclesiasticas pro toto orbe christiano.* — Quæritur II. Quomodo papa possit ferre leges, sive constitutiones ecclesiasticas? Resp. Summus pontifex, seu papa, potestate sibi immediate a Deo concessa, potest in materia spiritali, et concernente animarum salutem, rectamque ecclesiæ gubernationem, facere constitutiones ecclesiasticas pro toto orbe christiano. Ita omnes catholici. Idque patet ex eo; quia summo, sive Romano pontifici, tanquam suo in terris vicario, commisit Christus Dominus in beato Petro apostolo omnium ovium suarum curam, dicens ei: *Pasce oves meas*, Joan. xxi, 17. « Non distinguens inter has oves, et alias: ut alienum a suo demonstraret ovili, qui Petrum, et successores ipsius, magistros non recognosceret, et pastores; » prout argumentatur Innocentius III scribens Constantinopolitano Imperatori: ac refertur in d. c. *Solite*, 6. *de Majoritat. et obed.* Item patet ex illo quod Christus dixit ad Petrum, et in Petro ad legitimos successores ipsius: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis*, etc. *Matth.* cap. xvi, 19. « Nil excipiens, qui dixit: *Quodcumque*, » prout ibidem notavit pontifex: ut

proinde nec censeatur excepta potestas legislativa, qua oves sibi commissas constitutionibus ecclesiasticis, ad spiritualem earum salutem provide factis, ligare valeat.

54. *Papa suam potestatem immediate habet a DEO.* — Ex allegatis textibus insuper patet, quod hujusmodi spiritalis potestas summo pontifici competat non ex hominibus (prout fuse contra hæreticos ostendit Bellarminus lib. II. *de Romano pontifice*. c. 17 ac seq.) sed immediate a Deo, utpote quam ipsemet Christus Dominus, verus Deus et Homo, immediate commisit sancto Petro, et in Petro suis legitimis successoribus Romanis pontificibus, d. c. *Solite*. Id ipsum, et adhuc clarius expressum habetur in Extravag. *Unam sanctam*, circa finem *de Majorit. et obed.* inter communes, ubi de Ecclesia, et potestate ecclesiastica, sic legitur: « Est autem hæc auctoritas (etsi data sit homini, et exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina, ore divino Petro data, sibi que, suisque successoribus in ipso, quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: *Quodcumque ligaveris*, » etc. Concordat textus notabilis in c. *Quando*. 3. *de Translat. episc.* ubi dicitur, quod « si quid Romanus pontifex (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris) pro Ecclesiarum necessitate, vel utilitate constituit, non humana, seu divina prius auctoritate constituat. » Quod ipsum etiam profitetur Imperator, in Romano pontifice agnoscens « Cæleste arbitrium, » l. 1. *de summa Trinitate*.

55. *Eamque exercet absque alia confirmatione, et ante suam consecrationem. Secus accidit in inferioribus prælatis ecclesiæ; et cur?* — Unde non mirandum, quod celebrata semel canonica electione, præstitoque in eam suo consensu, Romanus pontifex absque alia confirmatione, imo etiam ante suam consecrationem, statim habeat auctoritatem regendi Ecclesiam universalem, et disponendi circa facultates ac beneficia ipsius, can. *In nomine Domini*, dist. 23. et Extravag. *Quia nonnulli de Sent. excommunicat.* inter communes. Quamvis hoc secus sit in aliis inferioribus prælatis, qui ante suam confirmationem non habent jus administrandi, c. *Nosti*, 9. et c. *Qualiter*, 17. *de Election.* et c. *Avaritia* 5. eod. in 6. Ratio disparitatis est clara: quia inferiores prælati recognoscant superiorem in terris, suamque potestatem non immediate accipiunt a Deo, sed mediante summo pontifice, a quo vocantur in

partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis, can. *Qui se scit.* 2. q. 6. ac proinde merito indigent superioris confirmatione. Secus dicendum in papa, qui canonicè electus post præstitum consensum omnem suam potestatem, sive jurisdictionem recipit ab ipsomet Deo, neque in terris superiorem recognoscit, a quo confirmetur, licet nihilominus inthronizationem, seu coronationem admittat.

56. *Papa in suis ditionibus obtinet etiam temporalem potestatem. Et unde hanc acceperit?* — Additur notanter in data n. 53, conclusione, in materia spirituali, etc. Nam hæc sermo non est de potestate illa temporali, quam Romanus pontifex exercet in ditionibus temporalibus, quas mero jure humano, videlicet ex donatione Constantini Magni, quarta die sui baptismi beato Sylvestro ejusque legitimis successoribus facta, obtinet, can. *Constantinus*, dist. 69, et c. *Fundamenta*, 47. § *Ne autem de Elect.*, in 6. quasque successores Imperatores Romano pontifici confirmarunt, can. *Ego Ludovicus*, dist. 63. et Clem. *Ne Romani*. 4. § *Porro de Jurejur.* Sed hic sermo est de potestate spirituali, quam papa ex Christi commissione habet in omnes fideles (velut oves Christi) in viam salutis æternæ rite deducendos: et de qua loquitur illa infallibilis promissio æternæ Veritatis, Matth. xvi, 19. *Et tibi dabo claves regni cælorum*, nulla facta mentione de aliis clavibus regni terrarum sibi a Christo pariter collatis.

57. *Habet indirecte potestatem judicandi, et disponendi de bonis temporalibus omnium christianorum.* — Fatendum nihilominus est, quod papa, utpote Christi in terris vicarius, atque ovium suarum pastor universalis, habeat indirecte (sive ratione spiritualis potestatis, in ordine ad bonum regimen totius Ecclesiæ ipsi divinitus concessæ) quamdam supremam potestatem pro bono statu Ecclesiæ, si id necesse fuerit, judicandi, et disponendi de rebus temporalibus omnium christianorum. Et hoc imprimis patet ex c. *Per venerabilem*. § *Rationibus. Qui filii sint legit.* ubi « pontifex non solum in Ecclesiæ patrimonio (super quo plenam in temporalibus gerit potestatem), verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem jurisdictionem casualiter exercere, » pluribus sacræ Scripturæ adductis testimoniis fusius comprobatur. Ex quo textu liquet, quod quidem papa in terris alienis regulariter loquendo, sive ordinaria potestate sua, non possit exercere ju-

isdictionem temporalem, cum ipsi directe non sint subjectæ, bene tamen casualiter, sive, ut loquuntur doctores, *indirecte*.

58. *Et in quibus casibus tali potestate utatur?* — Et hoc posterius accidit tunc, quando agitur de periculo animæ, sive peccato mortali: ut in c. *Novit*, 13. de *Judiciis*, et cap. ult. de *Pactis*, cum similibus. aut quando factum est valde arduum, difficile, et ambiguum, atque idcirco ad papam veluti supremum in terris iudicem, provocatur; ut contingit d. c. *Per venerabilem*. et Clem. *Pastoralis*. 2. de *Sent. et re judic.*; vel quando istud exigit bonum Ecclesiæ gubernium, et salus animarum; ut patet ex can. *Alius*, 13. q. 6. ubi Romanus pontifex regem Francorum urgentibus causis gravissimis deposuit a regno subditosque a juramento fidelitatis absolvit. Quod idem legitur factum in c. *ad Apostolicæ; de Sent. et re judic.*, in 6. ubi Innocentius IV. in concilio Lugdunensi Fridericum II deposuit ab imperio. Tacentur plura similia exempla, quæ refert Bellarminus, lib. V. de *Romano pontifice*, cap. VIII. Et hac ratione censetur papa habere indirecte supremam potestatem in bona temporalia christianorum, quatenus nimirum hoc necesse est ad rectum exercitium potestatis spiritualis ipsi divinitus concessæ, rectamque Ecclesiæ et commissarum ovium gubernationem.

59. *Potestas spiritualis sive pontificalis, est diversa a temporali sive imperiali; se tamen mutuo juvare debent. Potestas legislativa civilis, unde proveniat?* — Alioquin autem constat, quod potestas spiritualis, sive pontificalis, sit diversa a temporali, sive imperiali, et regali, can. *Duo sunt*, dist. 96. et cit. c. *Solutæ*. 6. de *Majorit. et obed.* ac Extravag. *Unam sanctam*, eod. inter communes. Et quod spiritualis, seu pontificalis potestas, licet sit excellentior, « per Jura citata, » nolit præjudicare temporali, seu regali, d. c. *Per venerabilem*. § *Rationibus. Qui filii sint legit.* ibi: « Non quod alieno juri præjudicare velimus. » Quin potius utraque potestas sese mutuo juvare debeat, can. *Principes*, cum seq. 23. q. 25. Ex quo ulterius sequitur, quod quando materia legis est profana, et mere temporalis, nullum involvens periculum animarum, non possit lex pontificalis abrogare legem imperialem; sed tunc utraque in suo foro servanda sit, illa videlicet in foro ecclesiastico, ac terris summo pontifici quoad jurisdictionem temporalem plene subjectis, ista vero in foro civili, prout amplius dic-

tum est in Proemio, n. 217 et 218. et seqq.

60. *Concilium generativum, quid?* — Quæritur III. Utrum concilia possint condere constitutiones vim legis habentes? Ubi præmittendum est, quod *Concilium*, quod Græci *Synodum* appellant, generativum sit cœtus consiliorum ad resolvendas reipublicæ controversias legitime in unum congregatorum. Concilii enim nomen tractum est ex more Romanorum: nam tempore, quo causæ agebantur, conveniebant omnes in unum, communique consensu tractabant; prout amplius hujus nominis etymon explicatur can. 1. § *Synodus*, dist. 15. In proposito autem concilium sumitur pro cœtu, seu conventu sacerdotum, maxime episcoporum, pro resolvendis rebus fidei, seu aliis gravioribus Ecclesiæ negotiis, a legitimo superiore in unum congregatorum. Et quidem.

61. *Concilium generale, provinciale, episcopale, seu synodus diœcesana, quid?* — Concilium taliter acceptum est triplex, videlicet, generale, provinciale, et episcopale, quod specialiori vocabulo communiter *Synodus diœcesana* appellatur. Concilium generale (quod et *Œcumenicum* appellatur) est illud, ad quod convocantur omnes episcopi totius orbis, ut singuli competenter conveniant, nisi canonico impedimento fuerint præpediti, can. *Placuit*, dist. 18. et c. *Ego n. 4. de Jurejur.* Et tale concilium generale (quod nonnisi gravissimis de causis convocari solet, ac post sacrum concilium Tridentinum amplius congregatum non est) absque auctoritate Romani pontificis celebrari non potest, can. *Regula*; et can. *Multis*, dist. 17. cum similibus. Et si secus fiat, illud non recte *Concilium*, sed *Conventiculum*, seu *Conciliabulum* appellatur, omnique caret robore, d. can. *Multis*, dist. 17. Porro concilium provinciale est illud, quod congregatur ex suffraganeis certæ provinciæ, auctoritate metropolitanæ ad definiendas causas spirituales illius provinciæ, quæ non sunt ex majoribus, summoque pontifici reservatis. Huc addi potest concilium nationale, in quo videlicet omnes archiepiscopi, et episcopi certæ nationis, sub uno primatè, vel patriarcha conveniunt. Tandem concilium episcopale (alias *synodus diœcesana* appellatur) est illud, quod ob memoratum finem congregatur auctoritate episcopi diœcesani. His suppositis.

62. *Concilium generale potest facere constitutiones totam Ecclesiam obligantes.* — Resp. I. Concilium generale legitime congregatum po-

test facere constitutiones obligantes totam Ecclesiam, dummodo accesserit confirmatio summi pontificis, hujusque auctoritas illæsa permaneat. Ita certa, et communis catholicorum. Idque patet ex recepta praxi Ecclesiæ, dum non solum novissime in concilio Tridentino præter canones fidei plura decreta circa reformationem morum condita fuerunt, sed id ipsum etiam practicum fuit in prima Nicæna synodo, sub sancto Sylvestro papa celebrata, et aliis successive conciliis generalibus, dum in ipsis non solum vera fides catholica contra insurgentes hæreses explicata fuit, sed etiam plures regulæ, sive canones, pro felici gubernio Ecclesiæ emanarunt. Accedit ratio, quia summus pontifex, auctoritate divinitus accepta, potest extra concilium novas constitutiones totam Ecclesiam obligantes facere; ergo etiam in concilio. Idque eo majori cum fructu, meliori que successu, quod Ecclesia postmodum promptius id ipsum acceptet, atque in opus deducat, quod antea in suis capitibus legitime congregata, concordii judicio faciendum decrevit.

63. *Dummodo accesserit confirmatio summi pontificis.* — Additur notanter primo, « dummodo accesserit confirmatio summi pontificis. » Idque ob textum clarum in c. *Significasti. Ad de Elect.* ibi: « Cum omnia concilia per Romanam Ecclesiam auctoritatem, et facta sint, et robur exceperint, et in eorum statutis Romani pontificis patenter excipiatur auctoritas. » Idem patet ex c. *Regula*, et seqq. dist. 17. Unde non sufficit, quod concilium generale fuerit congregatum auctoritate summi pontificis; nonnulla enim talia postmodum in quosdam errores inciderunt, ac reprobata sunt: ut patet in concilio Ephesino II, per Leonem I indicto, nec tamen confirmato, eo quod admiserit errores Dioscori et Eutychetis; tum Basileensi sub Eugenio IV congregato, ac ex parte reprobo, ut taceantur plura alia concilia generalia reprobata, quæ recenset Bellarminus, lib. I de *Conciliis*, cap. VI et VII. Sed, ut Acta concilii generalis robur suum obtineant, requiritur insuper confirmatio Romani pontificis; quam proinde omnia concilia, absente papa, et presidentibus ejus legatis celebrata, petere, et Pontifices dare consueverunt, ac novissime Patres concilii Tridentini, sess. 25. in fine, per legatos petendam censuerunt, atque obtinuerunt. Navarrus, consil. 1. de *Constit.* num. 4; Suarez, lib. IV. de *Legibus*, cap. VI, n. 2. et alii.

64. *Papa convocando concilium, non per hoc censetur hanc absolute dare potestatem novas leges condendi.* — Nec dicas: hoc ipso, quod pontifex convocet concilium generale, censetur eidem facultatem concedere, novas leges statuendi; nam alias frustra congregaretur concilium. Resp. enim negando assumptum. Nam pontifex adhibet Patres concilii tanquam suos consiliarios, quorum videlicet consilio utitur ad res fidei definiendas, legesque pro bono statu Ecclesie condendas; simulque tanquam iudices universalis Ecclesie, quatenus sententiam super rebus fidei, ac morum dare possunt: non tamen hi sunt iudices supremi, sed dependentes a summo pontifice veluti Christi in terris vicario, ejusque approbatione. Neque his obstare dignoscitur, quod jam ante confirmationem papae concilium generale soleat uti hujusmodi verbis: «Præcipit sancta synodus, mandat: sit anathema,» etc. Nam talia præcipit, seu definit concilium, quantum est in se, et dummodo a pontifice approbetur; non vero absolute.

65. *Nec tamen illud frustra convocatur.* — Neque hinc sequitur, frustra convocari concilium generale. Nam, quamvis solus pontifex possit toti Ecclesie leges præscribere, ac per has irrepentibus in Ecclesiam abusibus præcavere: nihilominus longe suavius res agitur; dum concordante, ad hoc ipsum statuente concilio generali, ejusmodi leges pro universali Ecclesia præscribuntur: quia naturaliter cuilibet suum videre placet, sicque facilius acceptantur, et promptius opere complentur illæ leges, quas tota Ecclesia in suis conventibus congregata communi consensu statuit; et observandas decrevit, ut jam est dictum. Tacentur aliæ conciliorum generalium utilitates, de quibus fuse Bellarminus, lib. I. de Conciliis. cap. ix et x.

66. *Concilium generale non est supra papam.* — Additur ulterius, «hujusque, sive Romani pontificis auctoritas illæsa permaneat.» Quia concilium generale non est supra papam, ut eum ligare, seu novis suis constitutionibus certas eidem leges præscribere valeat, d. c. *Significasti 4 de Elect.* ibi: «Et in eorum (conciliorum) statutis Romani pontificis patenter excipiatur auctoritas.» Id ipsum primis jam Ecclesie nascentis temporibus inter alia agnovit Sinesianum concilium plurimorum episcoporum, non audientium sanctum Marcellinum papam, ob adhibitum inanimum deorum simulacris tunc poenitentiam

agentem, ac scelus suum palam confitentem damnare, sed una voce c'amtium: «Tuo te ore, non nostro iudicio, judica: nam prima Sedes a nemine judicatur.» Concordant antiquissimi canones, ut can. *Nemo*, et can. *Aliorum*. et can. *Cuncta per mundum*. 9. q. 3. relati cum similibus, ubi pariter dicitur, quod prima Sedes, videlicet papa, a nemine judicetur, ne quidem ab Augusto, neque ab omni clero, neque a populo, sed Dei dumtaxat reservetur arbitrio. Unde concilium Tridentinum, sess. 23. cap. xxi. de *Reformat.*, provide, ac expresse declaravit, «omnia et singula, sub quibuscumque clausulis, et verbis, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in hoc sacro concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicæ et sit, et esse intelligatur.» (ADNOTATIO XIII.)

67. *Concilia particularia possunt facere novas constitutiones, quæ tamen solum obligant subditos proprii territorii.* — Resp. II. Concilia particularia, sive provincialia, aut nationalia, sive diocesana possunt equidem facere novas constitutiones vim legis habentes; nihilominus hæc solum obligant proprios subditos, intra limites sui territorii existentes. Ita communis; et patet ex can. *Quod dicitis*. dist. 16. et can. *Si quis episcopus per manus*, dist. 92. ubi approbantur canones editi in concilio provinciali. Item ex can. ult. dist. 16. et c. *Sicut olim*, 23. de *Accusat.* ubi quotannis provincialia concilia, et synodus diocesana celebrari mandantur. Item constat ex recepta praxi Ecclesie, ac pluribus talibus conciliis hactenus celebratis, propriasque constitutiones facientibus, quarum multæ referuntur in *Decreto Gratiani*. (ADNOTATIO XIV.)

68. *Unde quædam decreta conciliorum particularium habeant vim legis universalis?* — Quod autem hujusmodi leges non obligent, extra proprium territorium, patet ex cap. ult. h. t. in 6. allegata hujus dicti ratione illa generali, «Cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune.» Nec obstat, quod quædam concilia particularia postmodum inserta fuerint *Decreto Gratiani*, aut etiam approbata a summis pontificibus, ut in can. *De libellis*. dist. 20. Resp. enim, licet decreta illa conciliorum particularium, quæ successu temporis fuerunt approbata a summis pontificibus, obtineant vim legis universalis; non tamen hanc vim obtinuerunt ex sua pri-

mæva origine, seu quatenus a talibus conciliis promanarunt; neque ex eo, quod fuerint inserta *Decreto Gratiani* (nam hic utpote privatus auctor, non potuit eidem tribuere auctoritatem legis Ecclesiasticæ, obligantis totam Ecclesiam) sed ex approbatione pontificia: quia, ut habet illud receptum, legislatoribus conveniens, «Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur.» Glossa in cap. ult. vers. *Expressi de procurat.*, juncto textu in l. 1. § *Sed neque*. C. de *Veteri jure enucleand.* Adde dicta in præmio num. 76.

§ IV.

DE POTESTATE LEGISLATIVA EPISCOPORUM, CAPITULORUM, ET ALIORUM.

69. *Episcopi possunt statuta facere, etiam extra synodum, et qualia, quosque obligantia?* — Quæritur I. Quam potestatem faciendi novas constitutiones, seu statuta pro suis subditis, habeant episcopi et archiepiscopi? Resp. I. Loquendo de episcopis, conveniunt doctores, quod ipsi pro spirituali bono animarum sibi commissarum, possint quasdam novas constitutiones, seu statuta atque edicta condere: hoc enim exigit pastorale officium ipsorum. Idque possunt non solum in synodo diocesana, can. *Annis singulis*, dist. 18. et can. 1. de *Consecr.* dist. 3. cum similibus: sed etiam extra synodum, ut c. *Si quis venerit*. 2. de *Majorit. et obed.* et c. *Vestra*, juncta Glossa vers. *Statuto de Locato*, ubi tales constitutiones ab episcopis factæ reperiuntur. Atque id ipsum procedit etiam de statutis pœnalibus, et pœnam v. g. excommunicationis ipso jure in transgressores infligentibus prout liquet ex c. *Ut animarum de Constit.*, in 6.

Et quidem statuto episcopali ligantur omnes diocesani, etiam laici, ac regali quoque dignitate fulgentes, in eis quæ concernunt bonum spirituale, resque ecclesiasticas; ut cit. c. *Si quis venerit*. 2. de *Majorit. et obed.* et c. *Novit*. 13. de *Judiciis*. Franchis in c. *Ut animarum*, vers. *Statuto*, vers. *Secundo notum de Constitui.*, in 6; Ugolinus de *Potest. episcop.*, cap. XLVII, § 1, n. 1, et alii. Nam statutum episcopi jus facit inter subditos. Glossa in cit. c. *Ut animarum*, vers. *Statuto episcopi*.

70. *Statuta eorum an sint perpetua, vel expirent morte conditoris?* — Quod si petas, an

statuta episcoporum sint perpetua, adeo ut non expirent morte conditoris? Resp. Certum esse, quod facta in synodo diocesana durent perpetuo, nisi revocentur, juxta doctores proxime citandos, et alios communiter. Si autem facta fuerint extra synodum, eadem expirare morte ipsius episcopi, volunt non pauci canonistæ; ut Barbosa part. III. de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 93, num. 23, asserens, ita pro certa supponi a Rota, decis. 79. num. 6, part. I. Recent.; Zerola part. 1; *Praxis episcop.* vers. *Edicta*. § *Ad tertium*. Sperellus decis. 14. *Fori Ecclesiast.*, num. 21. et 22. citans alios, atque inde post Riccium, decis. 149, num. 2, part. 1, inferens, quod casus ab episcopo reservati, per ejus obitum expirent, nisi in synodo facta fuerit reservatio: atque ideo vicarii capitulares soleant statim defuncti episcopi edicta, casusque reservatos renovare: prout sese olim practicasse, testatur idem Sperellus. Verum, quia hujus sententiæ auctores consuetudinem dumtaxat, nullum autem textum juris (quantum videre licuit) pro se allegant, videntur solum loqui de edictis, seu mandatis episcoporum: absque consensu, vel consilio capituli generaliter latis; aut juxta receptas consuetudines particularium diocesum, forte quotannis synodos diocesanas ad præscriptum juris exacte celebrantium, ubi proin non subest necessitas condendi statuta nova extra synodum: non autem de potestate condendi statuta, episcopis jure communi competente extra synodum, saltem prævio consensu vel consilio sui capituli, in arduis negotiis cæteroquin requisito, juxta c. *Novit*. 4. «De his quæ fiunt a prælatis,» etc. Unde de hac loquendo, oppositam sententiam, seu quod statutum episcopi duret in perpetuum, nisi per successorem revocetur, tenet Federicus de Senis, consil. 16. circa init. in terminis hoc docens: «quia (inquit) de natura statuti est, quod sit perpetuum,» cap. ult., de *Offic. legati*. et quod futura respiciat, c. *Cognoscen-tes*, 2. et cap. ult. de *Constit.* Eadem sententia probatur ex cit. cap. ult. de *Legat.* ubi statuta legati dicuntur durare in perpetuum, juncta Glossa, vers. *Statuta*, hoc ipsum intelligente de statutis episcoporum pro sua diœcesi. Id ipsum confirmat Baldus Perusinus, tom. II. *Tractatum*, tract. de *Statutis* § *Episcopus*. n. 2. ubi ait episcopos posse facere statuta: non enim debent comparari magistratibus municipalibus, sed præsidibus provinciarum; quia habent merum et mis-